

III.

Gaudium hoc erat in Paulo innocens, sanctum et intemeratum, non tamen sine metu. *φοβῶμαι!* inquit divus Apostolus. Quas quaeso causas habebat? Sane non parum graves. Hostem videbat non unum, tortuosum, implicatum et *serpentis instar se flectentem ac curvantem*: Ante omnia ipsum inimicorum et haereticorum antesignanum satanam, si per ipsum liceat, *totum mundum seducturum Apoc. VI. seq.* nec prius quieturum, quam a puritate doctrinae eum ad devia deduxerit. Habebat ille organa sua omnibus nequitiae et versutiae armis instructissima, homines temerarios et audaces, in Apostolos ipsos insurgentes, et Pauli nunc *personam, tenuem et vilem*, nunc *eloquentiam et stylum*, nunc *vitam eius et munus* pungentes et suggillantes, ipsumque adeo *malitiae et carnalitatis* alicuius insimulantes, ut ex *2. Cor. I, 17, 2. Cor. IV, 2. X, 10. XI, 6. X, 3.* coniicitur, paupertatem et alia exprobrantes *2. Cor. XI, 7.* seipsum vero ob *sapientiam* multo *sublimiorem* extollentes, *revera nihil intelligentes. 2. Cor. X, 12.* Suamque *pietatem* et ideo exantlatas *persecutiones* iactantes *2. Cor. XI, 22. 23.* quibus omnibus et contemptum Paulo, et sibi benevolentiam conciliare annisi, et tandem falsarum ac novarum doctrinarum studio Corinthios assuefacere conati fuerunt.

IV.

Praesentissimum itaque periculum persentiscens divino Spiritu praeditus Apostolus, quo magis arcanis et clanculariis artibus uterentur Pseudo Apostoli, eo maiori contentione ac studio obviam eundum, ipsosque Corinthios, quos tantopere complectebatur atque amabat, ut se ipsos *in corde gerere* testaretur, *2. Cor. VII, 3.* commonefaceret, de cavendis imposturis adversariorum non alio, quam fer-
penti-